


V I. Anguli mensura est circuli ex angulari puncto descripti arcus, inter crura satis prolongata interceptus: *Vt, in Triangulo A B C, anguli B A C mensura est arcus O P vel B D.*



VII. Circulus in trigonometria omnis dividitur in partes sive gradus 360. & gradus singuli rursus in 60. scrupula, sive minuta prima, & unum primum in totidem secunda, &c. Quæ partes tantò sunt majores, quantò circulus est major. Arcus autem, qui eodem partium numero constant, in circulis æqualibus æquales, in circulis inæqualibus similes dicuntur: *Vt, arcus B D & G H sunt æquales: arcus verò B D & O P sunt similes. Sicut enim B D, verbi gratia, est 40. partium in circulo magno EBD: Ita O P est 40 partium in circulo parvo LOP. &c.*

VIII. Igitur circuli dicti quadrans est arcus 90 partium.

IX. Arcus quadrante minoris complementum est, quod ipsi ad 90. partes deest. *Vt, arcus B D. 40. partium, complementum est arcus B E. 50. partium: & vicissim.*

X. Ar-